

orbiculo (c d) sicut antè, incum-
 bit. Tametsi igitur interioris &
 exterioris æquale prorsus esset ela-
 terium, quia tamen bases urgent
 inæquales, internus sc. minorem
 a b, externus majorem c d; neces-
 sum est hunc istum viribus supe-
 rare, atque adeò tam chartam
 quam vinum chartæ incumbens
 ab exteriori potiùs sustentari &
 versus interiora urgeri; id quod
 conceptu est facillimum. In al-
 tera verò illa experimenti acces-
 sione, cum aquæ vel vini cylin-
 drum & qui hunc deorsum urget
 aërem, remoto chartaceo orbicu-
 lo, subjctæ tabulæ planities susti-
 neat, externus aër nihil amplius
 quod agat habeat, quàm ut per
ἀντιπίεσις αἰῶν verè ac propriè sic di-
 ctam resistat aquæ inter margi-
 nem vitri & planitiem tabulæ (ut-
 pote quæ adeò exactè ubique sese
 non tangunt, quin hiatûs aliquid
 relinquunt) prolapsuræ; id quod
 præstare quàm facillimè potest.
 Etiam si enim ab initio interni aë-
 ris æquè ac externi pressio hoc in
 casu in basin eandem, nempe in
 vitri ac tabulæ eandem commis-
 suram terminari, & consequenter internus ab aquæ proprio
 pondere adjutus vincere debere externum videatur; nihilo-
 minus tamen, ubi sic vincendo tantillum aquæ expresserit,
 imò ubi moto supra tabulam vitro inverso, aliquid aquæ
 tum

